Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

NOVÆ QUÆDAM

MISSÆ,

CUM PROPRIIS

SANCTORUM

Regni Hungariæ.

ET

SANCTORUM ORDINIS SANCTI PATRIS

FRANCISCI SERAPHICI,

Quæ necdum passim in Missalibus Romanis

impressæ habentur.

JUSSU

A. R. P. ANTONII VALTSANSKI,

Custodiæ Sancti Stephani Regis in Transylvania Custodis Provincialis

EDITÆ.

IMPRESSUM

In Conventu [illegible], Typographiam Conventuali.

M. DC. LXXXV.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

NOVÆ QVÆDAM MISSÆ, CUM PROPRIIS SANCTORUM Regni Hungariæ.

ET

SANCTORUM ORDINIS SANCTI PATRIS FRANCISCI SERAPHICI,

Quæ necdùm passim in Missalibus Romanis impressæ habentur.

JUSSU

A. R. P. ANTONII VALTSANSKI, Custodiæ Sancti Stephani Regis in Transylvania Custodis Provincialis

EDITÆ.

Conv. Csik Somlyor

P. P. Francisc.

IMPRESSUM

In Conventu Csikiensi, Typis ejusdem Conventûs.
M. DC. LXXXV.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda
L417.3213

INDEX SANCTORUM.

JANUARIUS.

5. Januarij. Severini Abbatis.
15. Pauli primi Eremitæ.
23. Desponsatio Beatæ Virginis.
28. Joannis Eleemosynarij.
29. Francisci Salesij.
30. Martinæ Virginis.
31. Petri Nolasco.

FEBRUARIUS.

1. Februarij. Brigidæ Virginis.
3. Ludovicæ Albertoniæ. *Ordinis.*
4. Andreæ Corsini.
6. Dorotheæ Virginis.
7. Romualdi Abbatis.
8. Joannis de Matha. *Vide in fine.*
9. Apoloniæ Virginis.
10. Columbæ Virginis.
12. Laurentij Justiniani.
16. Canuti Regis & Martyris.
17. Rajmundi de Pennafort.
19. Conradi Confessoris.
23. Margaritæ de Cortona. *Ordinis.*

MARTIUS.

4. Martij. Casimiri Confessoris.
6. Coletæ Virginis. *Ordinis.*
8. Rosæ Viterbiensis. *Ordinis.*
9. Franciscæ Viduæ.
11. Catharinæ Virginis. *Ordinis.*
De Septem doloribus Beatæ Virginis.

APRILIS.

5. Aprilis. Vincentij Ferrerij.
13. Hermenegildi Regis.
23. Adalberti Episcopi.
28. Translatio S. Petri de Alcantara. *Ordin.*
De Lancea & Clavis Domini.
Raphaëlis Archangeli.

MAJUS.

2. Maji. Sigismundi Regis. *Vide in fine.*
4. Floriani & Sociorum.
5. Beati Pij Quinti.
10. Catharinæ Senensis.
13. Monicæ Viduæ.
17. Beati Paschalis. *Ordinis.*
20. Bernardini Confessoris. *Ordinis.*
26. Philippi Nerei Confessoris.
28. Venantij Martyris.
29. Petri Cœlestini.
30. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.
31. Ferdinandi Regis.

JUNIUS.

Translatio Sancti Didaci. *Ordinis.*
3. Erasmi Episcopi & Mart. *Vide in Februar.*
4. Junij. Quirini Episcopi.
6. Norberti Episcopi.
16. Bennonis Episcopi.
19. Bonifacij Martyris.
27. Ladislai Regis.

JULIUS.

4. Julij. Elizabet Reginæ Portugalliæ.
8. Margaritæ Reginæ Scotiæ.
9. Nicolai, & Sociorum Martyrum. *Ordinis.*
12. Joannis Gualberti.
13. Margaritæ Virginis.
15. Divisio Apostolorum.
17. Andreæ & Benedicti.
19. Beatæ Virginis de Monte Carmelo.
20. Francisci Solani. *Ordinis.*
27. Henrici Imperatoris.
30. Alexij Confessoris.
31. Ignatij Societatis Jesu.

AUGUSTUS.

7. Augusti. Cajetani Thienæi.
20. Stephani Regis Hungariæ.
23. Philippi Benitij.
30. Rosæ Limanæ Virginis.
31. Rajmundi Nonnati.

SEPTEMBER.

Angeli Custodis.
4. Septembris. Rosæ Virginis. *Ordinis.*
6. Rosaliæ Virginis.
7. Rochi Confessoris.
18. Nominis Beatæ Virginis.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

22. Thomæ de Villa.
24. Gerardi Episcopi.
28. Elzearij Confessoris. *Ordinis.*

OCTOBER.

Solemnitas Sacratissimi Rosarij B. Virginis.
1. Octobris. Remigij Episcopi.
6. Brunonis Confessoris.
8. Birgittæ Viduæ.
12. Maximiliani Episcopi.
14. Burchardi Episcopi.
15. Teresiæ Virginis.
16. Edvardi Confessoris.
17. Hedvigis Reginæ.
19. Petri de Alcantara. *Ordinis.*
21. Ursulæ & Sociarum Martyrum.
23. Joannis Capistrani. *Ordinis.*
29. Demetrij Martyris.
30. Colomanni Martyris.
31. Volffangi Episcopi.

NOVEMBER.

4. Novembris. Caroli Episcopi.
5. Emerici Ducis Hungariæ.
15. Leopoldi Confessoris.
16. Josaphat Episcopi.
17. Beatæ Salomeæ Virginis. *Ordinis.*
19. Elizabet Reginæ Hungariæ.
26. Omnium Sanctorum Ord. Min. *Ordin.*
27. Venceslai Martyris.
28. Jacobi de Marchia. *Ordinis.*
29. Felicis de Valois.

DECEMBER.

2. Decembris. Bibianæ Virginis.
3. Francisci Xaverij.
4. Barbaræ Virginis.

MISSÆ VOTIVÆ.

Pro Prægnantibus, seu in partu laborantibus.
Compassionis, seu lamentationis Beatæ Virginis MARIÆ.
De Sancto Sebastiano, contra pestem.
De Sancto Rocho, contra pestem. *ut supra.*

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

M

SE
Missa. D
memoratio
phori I
ge

PAUL
Missa
co

DESPO
Missa. Salve
VIII. die Dec
Evangeliu
ut in V

X
JOANNIS
Epi
Missa. Sacerdo
soris Pontif.
Evangel. mifericordes,
ut in Dom. I post Pentec.

XXIX. Januarij.

FRANCISCI SALESII,
Episcopi & Confessoris.

Missa. Statuit ei Dominus. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui ad animarum salutem Beatum Franciscum Confessorem tuum atq; Pontificem, omnibus omnia factum esse voluisti, concede propitius: ut charitatis tuæ dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, ac suffragantibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum, &c.

Virginum.

ORATIO.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui es Sanctarum gloria Virginum, Clementiam tuam suppliciter exoramus: ut per merita Beatæ Virginis tuæ Brigidæ, opportunum tuæ pietatis auxilium sentiamus. Per Dominum, &c.

III. Februarij.

BEATÆ LUDOVICÆ ALBERTONIÆ
Viduæ.

Missa. Cognovi Domine. *per totum. & fit commem.* S. Blasij Episc.

IV. Februarij.

ANDREÆ CORSINI,
Episcopi & Confessoris.

Missa. Statuit ei Dominus, &c.

A ORATIO.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

ut virtorum non [illegible]
tàm gloriosis provocamur exemplis. Per Dominum nostrum, &c.

XII. Februarij.

LAURENTII JUSTINIANI, Episcopi & Confessoris.

Missa. Sacerdotes tui. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut Beati Laurentij Confessoris tui atq; Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis, atque doctrinis. Per Dominum nostrum, &c.

Evangelium. Nemo accendit lucernam. *de eodem Communi.*

XVI. Februarij.

CANUTI REGIS & MARTYRIS.

Missa. In virtute tua. *de Communi unius Martyris.*

ERASMI [illegible] SCOPI & Mar[illegible]

Missa. Sacerdotes D[illegible]. *de Communi unius Martyris.*

ORATIO.

DEus, cujus virtute Beatus Erasmus Martyr & Pontifex, multa tormentorum genera superavit, fac nos quæsumus; ejus intercessione, universas insidias inimicorum nostrorum visibilium, & invisibilium cum gaudio superare, & in Christo bonis operibus abundare. Per eundem Dominum nostrum, &c.

XXIII. Februarij.

MARGARITÆ DE CORTONA.

Missa. Cognovi. *ut in Communi nec Virginum, nec Martyrum.*

IV. Martij.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

IV. Martij.

CASIMIRI CONFESSORIS.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui inter regales delicias, & mundi illecebras, sanctum Casimirum virtute constantiæ roborâsti, quæsumus: ut ejus intercessione fideles tui terrena despiciant, & ad cælestia semper aspirent. Per Dominum nostrum, &c.

VI. Martij.

COLETÆ VIRGINIS.

Missa. Vultum tuum. *de Communi pro Virgine tantum.*

ORATIO.

DOmine Jesu Christe, qui Beatam Coletam Sponsam tuam, innumeris dotibus decorâsti; tribue quæsumus: ut quo spiritu Seraphicam Regulam pristinæ puritati restituit, eodem intus reformari mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate ejusdem Spiritus S. &c.

Evangelium.

Simile est regnum cœlorum decem Virginibus.

VIII. Martij.

ROSÆ VITERBIENSIS.

Omnia ut in die ipsius IV. Septembris.

IX. Martij.

FRANCISCÆ VIDUÆ.

Missa. Cognovi. *ut in Communi nec Virginum nec Martyrum.*

ORATIO.

DEus, qui Beatam Franciscam Famulam tuam inter cætera gratiæ tuæ dona, familiari Angeli consvetudine decorasti: concede quæsumus, ut intercessionis ejus auxilio Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

XI. Martij.

CATHARINÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexisti. *ut in Communi pro Virgine tantum.*

ORATIO.

COncede nos famulos tuos Deus, Beatæ Catharinæ Virginis suffragijs adjuvari, cujus odore ungventorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum, &c.

Feria VI.

POST DOMINICAM PASSIONIS.

Missa. De septem Doloribus B. V. MARIÆ. *Quæ etiam vocatur Missa:* Nostræ Dominæ Pietatis.

Introitus.

CUmque vidisset Jesus Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. *Psalmus.* Stabant juxta crucem Jesu, Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene. ℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

INterveniat pro nobis, quæsumus Domine Jesu Christe, apud tuam sanctam clementiam nunc & in hora mortis nostræ piissima Virgo Maria Mater tua: cujus sacratissimam animam in hora benedictæ passionis tuæ doloris gladius pertransivit: & in gloriosissima resurrectione tua, ingens gaudium lætificavit. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus, &c.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

VIde, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est venter meus. Submersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius: & domi mors similis est. Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum: lætati sunt quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis: & fient similes mei. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

Graduale. Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. ℣. Exaudivit Dominus vocem fletus mei: Dominus orationem meam suscepit. Alleluja, alleluja. ℣. Ante thronum Trinitatis, miserorum miserata, pia Mater pietatis, sis pro nobis advocata, causam nostræ paupertatis, coram Deo sustine, & veniam de peccatis servis tuis obtine. Alleluja.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Tempore Paschali. Alleluja, Alleluja. ℣. Dulcis Mater dulci Nato dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna sustinére Regem cœlorum & Dominum. Allelùja. ℣. Ante thronum, *ut supra.*

A Septuagesima usque ad Pascha, Tractus. Stabat Mater dolorosa, juxta crucem lacrymosa, dùm pendebat Filius. ℣. Cujus animam gementem, contristantem & dolentem pertransivit gladius. ℣. Pro peccatis suæ gentis, Jesum vidit in tormentis, & flagellis subditum. ℣. Vidit suum dulcem Natum, morientem, desolatum, dùm emisit spiritum. ℣. Fac nos Virgo custodiri, cruce Christi præmuniri, confoveri gratia. ℣. Quando corpus morietur, fac ut animæ donetur paradisi gloria.

Sequentia sancti Evangelij secundùm Joannem.

IN illo tempore, stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua. *Credo.*

Offert. Recordare Virgo Mater Dei, dùm steteris in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, & ut avertas indignationem suam à nobis.

Secreta.

DOmine Jesu Christe, qui pendens in cruce, de custode Matri mœstissimæ providisti, ex qua humanam sumpsisti naturam; præsta quæsumus: ut interveniente merito cruciatus animi ejusdem Virginis Matris piissimæ, ipsa humanitas tua sub sacramento intellecta, sit contra quæcumque mala nobis in præsidium, in augmentum gratiæ, & vitæ æternæ præmium. Qui vivis & regnas Deus, &c.

Præfatio. Et te in transfixione.

Communio. Fælices sensus Beatæ Mariæ Virginis, quæ sine morte meruerunt martyrij palmam sub cruce Domini.

Postcommunio.

SAcrificia, quæsumus Domine Jesu Christe, transfixionem Matris tuæ, & Virginis devotè celebrantes, nobis impetrent apud Clementiam tuam omnis boni salutaris effectum. Qui vivis & regnas, &c.

V. Aprilis.

VINCENTII FERRERII, Confessoris.

Missa. Os justi. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam Beati Vincentij Confessoris tui meritis & prædicatione illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis; ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus, ejus patrocinio, liberemur adversis. Per Dominum &c.

XIII. Aprilis.

HERMENEGILDI REGIS & Martyris.

Missa. In virtute. *de Communi unius Martyris.*

ORATIO.

DEus, qui Beatum Hermenegildum, Martyrem tuum cælesti regno terrenum postponere docuisti: da quæsumus nobis ejus exemplo caduca despicere, atq; æterna sectari. Per Dominum &c.

Evangelium. Si quis venit ad me. *ut in Missa,* Statuit, *de eodem Communi unius Martyris. Si autem celebretur post Pascha, Missa.* Protexisti. *ut in Communi Tempore Paschali. Evang.* Si quis venit ad me. *ut ibidem.*

XXIII. Aprilis.

ADALBERTI EPISCOPI & Martyris.

Missa. Protexisti. *ut in Communi unius Martyris tempore Paschali.*

ORATIO.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui hodiernâ die Beatum Adalbertum Martyrem tuum atque Pontificem, merito passionis Sanctis tuis sociare dignatus es: tribue quæsumus, ut per ejus exempla ad patriam perveniamus æternam. Per Dominum nostrum &c.

Lectio. Charissimi, omne gaudium. *ut in Communi unius Martyris. Dicitur* Credo.

Postcom-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Postcommunio.

BEati Adalberti Martyris tui atque Pontificis intercessione, Domine, placatus: præsta quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetuâ salvatione capiamus. Per Dominum &c.

XXVIII. Aprilis.

TRANSLATIO S. PETRI DE ALcantara, Confessoris.

Missa. Mihi autem. *ut in die 19. Octobris. Omittitur* Graduale, *non dicitur* Credo.

ORATIO.

DEus, qui animam Beati Petri Confessoris tui charismatum donis, & corpus crucis mortificatione decorasti; concede precibus nostris, ut qui ejus recolimus translationis memoriam, virtutum quoq; imitemur exempla. Per Dominum &c.

Feria VI.

POST DOMINICAM IN ALBIS.

Missa. De Lancea, & Clavis Domini.

Introitus.

FOderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea: & sicut aqua effusus sum. Alleluja, allel. allel. *Psalmus.* Factum est cor meum, tanquam cera liquescens; in medio ventris mei.

Gloria Patri, &c.

ORATIO.

DEus, qui in assumptæ carnis infirmitate clavis affigi, & lanceâ vulnerari pro mundi salute voluisti, concede propitius; ut qui eorumdem clavorum, & lanceæ solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriæ triumpho gratulemur in cælis. Qui vivis & regnas, cum Deo Patre, &c.

Lectio Zachariæ Proph. Hæc dicit Dñus. *ut in Missa de Passione Domini.* Humiliavit.

Alleluja, allel. Ave rex. *ibidem.*

Evang. Sciens Jesus. *ibidem.*

Offert. Insurrexerunt. allel. *ut ibidem.*

Secreta.

SAnctificet nos, quæsumus Domine, hoc sanctum & immaculatum Sacrificium vespertinum: quod unigenitus Filius tuus in cruce obtulit pro salute mundi. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Communio. Videbunt in quem transfixerunt, cùm moverentur fundamenta terræ. Alleluja.

Postcommunio.

DOmine Jesu Christe, qui temetipsum in cruce holocaustum immaculatum & spontaneum Deo Patri obtulisti: quæsumus; ut ejusdem sacrificij oblatio veneranda, indulgentiam nobis obtineat, & gloriam sempiternam. Qui vivis &c.

Dominica III. post Pascha.

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Introitus.

EGo sum Azarias, Ananiæ magni filius, ego sum Raphaël Archangelus: unus ex septem qui astamus ante conspectum Domini: pax vobis: nolite timere: Dominus exaudivit preces vestras: & misit me ad vos, ut curem vos, Alleluja. *Psalm.* Benedicite Dominum omnes electi ejus: agite diem lætitiæ, & confitemini illi. ℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Raphaëlem Archangelum Tobiæ famulo tuo comitem dedisti in via, concede nobis famulis tuis: ut ejusdem semper protegamur custodia, & muniamur auxilio. Per Dominum &c.

Lectio libri Tobiæ.

DIxit Angelus Raphaël ad Tobiam: Et enim sacramentum regis abscondere bonum est. Opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata: & facit invenire vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem: hostes sunt animæ suæ. Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium, & abscondebas mortuos per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Et

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

nunc misit me Dominus, ut curarem te: & Saram uxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphaël Angelus, unus ex septem qui astamus ante Dñum.

Tempore Paschali. Alleluja, allel. Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus, Alleluja. ℣. Missus est Angelus Domini sanctus Raphaël à Deo, ad Tobiam, & salutavit eum, & dixit: Gaudium sit tibi semper, Alleluja.

Graduale, extra tempus Paschale. Angelus Domini Raphaël apprehendit, & ligavit dæmonem. ℣. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus. Alleluja, allel. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine. Alleluja.

Post Septuagesimam Tractus. Laudate Dominum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes ejus. ℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.

Sequentia sancti Evangelij secundùm Joannem.

IN illo tempore, erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hæbraicæ Bethsaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna langventium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini, secundùm tempus descendebat in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

Offertorium. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: & data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluja.

Secreta.

HOstias tibi Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes, ut eosdem Angelico pro nobis interveniente suffragio, & placatus accipias, & ad salutem nostram provenire concedas. Per Domin;

Communio. Benedicite omnes Angeli Domini Dominum: Hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula. Alleluja.

Postcommunio.

DIrigere dignare Domine Deus, in adjutorium nostrum, sanctum Raphaëlem Archangelum: & quem tuæ Majestati semper assistere credimus, tibi nostras exiguas preces benedicendas assignet. Per Dominum nostrum, &c.

IV. Maji.

FLORIANI & SOCIORUM Martyrum.

Missa. Sancti tui, Domine. *de pluribus Martyribus tempore Paschali.*

ORATIO. Deus qui nos concedis. *ut ibidem in eadem Missa.*

V. Maji.

BEATI PII QUINTI PAPÆ & Confessoris.

Missa. Statuit ei. *de Communi Confessoris Pontificis. Et fit commemoratio Festi Simplicis*, sancti Gothardi Episcopi & Confessoris. ORATIO. Exaudi, quæsumus Domine. *ut in Missa de eodem Cummuni.*

X. Maji.

CATHARINÆ SENENSIS Virginis.

Missa. Dilexisti, *ut in Communi pro Virgine tantum.*

ORATIO.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut qui Beatæ Catharinæ Virginis tuæ natalitia colimus, & annua solemnitate lætemur, & tantæ virtutis proficiamus exemplo. Per Dominum &c.

Et fit commemoratio SS. Gordiani & Epimachi Martyrum. *ut in Missali Romano.*

Secreta.

ASCendant ad te, Domine, quas in beatæ Catharinæ solemnitate offerimus preces, & hostia salutaris virgineo fragrans odore. Per Dominum &c.

Postcommunio.

ÆTernitatem nobis Domine conferat, qua pasti sumus, mensa cælestis, quæ beatæ Catharinæ Virginis vitam etiam aluit temporalem. Per Dominum.

XI. Maji.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

XI. Maji.

MONICÆ VIDUÆ.

Missa. Cognovi. *de Viduis.*

ORATIO.

DEus mœrentium consolator, & in te sperantium salus, qui beatæ Monicæ pias lacrymas in conversione filij sui Augustini misericorditer suscepisti: da nobis utriusque interventu peccata nostra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum &c.

XVII. Maji.

BEATI PASCHALIS Confessoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

XIX. Maji.

BEATI FELICIS Confessoris.

Missa. Justus ut palma. *de Communi Confessoris non Pontificis. & commemoratio* S. Pudentianæ Virg.

XX. Maji.

BERNARDINI CONFESSORIS.

Missa, ut in Festis Ordinis per omnia.

ORATIO.

DOmine Jesu, qui beato Bernardino Confessori tuo, eximium sancti Nominis tui amorem tribuisti: ejus, quæsumus, meritis & intercessione, spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui vivis & regnas, &c.

XXVI. Maji.

PHILIPPI NEREI Confessoris.

Missa. Os justi. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Philippum Confessorem tuum, sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede propitius; ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum &c.

XXVIII. Maji.

VENANTII MARTYRIS.

Missa. Protexisti. *ut in Communi unius Martyris tempore Paschali.*

ORATIO.

DEus, qui hunc diem beati Venantij Martyris tui triumpho consecrasti: exaudi preces populi tui, & præsta; ut qui ejus merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum &c.

Si autem celebretur post Pascha, Missa. In virtute tua. *de Communi unius Mart. non Pontificis. Evangelium.* Si quis venit ad me. *de Communi unius Martyris Pontificis.*

XXIX. Maji.

PETRI COELESTINI Papæ & Confessoris.

Missa. Statuit ei Dominus.

ORATIO.

DEus, qui beatum Petrum Cœlestinum ad summi Pontificatûs apicem sublimasti; quique illum humilitati postponere docuisti: concede propitius; ut ejus exemplo cuncta mundi despicere, & ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia. *de Communi Abbatum. Et fit commemoratio* S. Felicis Papæ. *nisi Festum* S. Petri *ob diem Dominicum transferatur.*

XXX. Maji.

MARIÆ MAGDALENE de Pazzis, Virginis.

Missa. Dilexisti justitiam. *de Communi pro Virgine tantum.*

ORATIO.

DEus virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam Virginem tuo amore succensam, cælestibus donis decorasti: da, ut quam festiva celebritate veneramur, puritate & charitate imitemur. Per Dominum nostrum, &c.

XXXI. Maji.

FERDINANDI REGIS & Confessoris.

Missa. Justus ut palma. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beato Confessori tuo Ferdinando, præliari prælia tua, & fidei inimicos superare docuisti: concede, ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis & corporis liberemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

Et fit commem. S. Petronillæ Virginis.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Feria II. Rogationum.

TRANSLATIO S. DIDACI Confessoris.

Omnia ut in die, 13. Novembris.

ORATIO.

DEus, qui per Translationem corporis beati Didaci Confessoris tui, ejus gloriam in terris renovasti; concede propitius: ut ipsius precibus nos spiritu renovati, æterna præmia consequi mereamur in cælis. Per Dominum &c.

Et fit commem. Feriæ 2. Rogation.

Allel. allel. ℣. Justus ut palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur. allel. ℣. Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. alleluja.

Non dicitur Credo, *nisi celebretur infra Octavam S. Bernardini.*

IV. Junij.

QUIRINI EPISCOPI & Martyris.

Missa. Statuit ei Dominus. *de Communi unius Martyris Pontificis.*

VI. Junij.

NORBERTI EPISCOPI & Confessoris.

Missa. Statuit ei. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Norbertum Confessorem tuum atque Pontificem, verbi tui præconem eximium effecisti, & per eum Ecclesiam tuam novâ prole secundasti: præsta quæsumus; ut ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum nostrum, &c.

XVI. Junij.

S. BENNONIS EPISCOPI & Confessoris.

Missa. Statuit ei Dominus. *de eodem Communi.*

ORATIO.

DEus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosâ circumdas & protegis: da nobis & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Domin.

Secreta.

SAnctus tuus quæsumus Domine Benno Confessor & Pontifex nos ubique lætificet; ut dùm eorum merita recolimus gloriosa, apud te semper patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Postcommunio.

QUæsumus Domine salutaribus repleti mysterijs, ut sancti tui Bennonis Confessoris & Pontificis, cujus solemnia celebramus, etiam intercessione adjuvemur. Per Dominum nostrum, &c.

XIX. Junij.

S. BONIFACII MARTYRIS.

Missa. In virtute tua. *de Communi unius Mart. Si autem celebretur infra tempus Paschale, Missa.* Protexisti.

XXVII. Junij.

LADISLAI REGIS, Confessoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Regem Ladislaum Confessorem tuum, diversis decorasti miraculis: præsta quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis, ab omnibus semper muniamur adversis, & gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum nostrum, &c.

Non fit commemor. Octavæ S. Joannis Baptistæ, Lectio. Justum deduxit Dominus, *ut habetur in Communi de uno Martyre non Pontifice. Dicitur* Credo.

Secreta.

HOstias piæ placationis offerimus clementiæ tuæ, omnipotens Deus: quas beati Regis Ladislai Confessoris tui meritis & precibus, & placatus accipias, & clementer dispones. Per Dominum &c.

Postcommunio.

SAcramenta, Domine, salutaria sumentes, clementiam tuam humiliter exoramus: ut intercessione beati Regis Ladislai Confessoris tui, & præsentibus non destituamur subsidiis, & gaudiis perfruamur æternis. Per Dominum &c.

IV. Julij.

ELIZABETH REGINÆ Portugalliæ.

Missa. Cognovi Domine. *de Communi non Virginum.*

ORATIO.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

ORATIO.

CLementissime Deus, qui beatam Elisabetham Reginam, inter ceteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prærogativa decorasti: da nobis ejus intercessione, post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum nostrum, &c.

VIII. Julij.

S. MARGARITÆ REGINÆ Scotiæ.

Missa. Cognovi Domine. *de Communi non Virginum.*

ORATIO.

DEus, qui beatam Margaritam Scotorum Reginam, eximiâ in pauperes charitate mirabilem effecisti: da, ut ejus intercessione, & exemplo, tua in cordibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum nostrum, &c.

IX. Julij.

SS. NICOLAI, & SOCIORUM Martyrum, Ordinis Minorum.

Missa. Intret in conspectu tuo. *de Communi plurimorum Martyrum.*

ORATIO.

DEus, qui beatorum Martyrum tuorum Nicolai & sociorum ejus, gloriosum pro fide tua certamen æternitatis laureâ decorasti, concede propitius: ut eorum meritis & imitatione, certantes in terris; cum ipsis coronari mereamur in cælis. Per Dominum nostrum, &c.

XII. Julij.

S. JOANNIS GUALBERTI Abbatis.

Missa. Os justi. *de Communi Abbatum.* ORATIO. Intercessio, &c. *Et fit commemoratio* SS. Naboris & Felicis *Martyrum.*

Sequentia sancti Evangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid ampliùs facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

XIII. Julij.

S. MARGARITÆ VIRGINIS & Martyris.

Missa. Me expectaverunt. *pro Virgine & Martyre.*

ORATIO.

DEus, qui beatam Margaritam Virginem, per Martyrii palmam tui regni fecisti consortem: concede nobis quæsumus; ut per ejus exempla ad te pervenire mereamur. Per Dominum &c.

Secretà.

HÆc victima, quæsumus Domine, pro beatæ Margaritæ Virginis oblata martyrio: & mentium nobis sanctitatem, & corporum obtineat sanitatem. Per.

Postcommunio.

HUjus Domine, sacramenti perceptione, & beatæ Margaritæ Virginis & Martyris intercessione: & tu in nobis manere dignare, & nos in te vicissim manere concede. Qui vivis & regnas, &c.

XV. Julij.

DIVISIO SS. APOSTOLORUM.

Introitus.

MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. *Psalmus.* Domine probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam & resurrectionem meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam, distributam per orbem terrarum, sanctorum Apostolorum prædicatione fundasti: concede propitius; ut quorum hodiernâ die, sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum &c.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

FRatres, Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Graduale. In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Alleluja, allel. ℣. Ego vos elegi de mundo, ut eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos: & ad Præsides & Reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Credo.

Offertorium. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine, in progenie & generatione.

Secreta.

GLoriam, Domine, sanctorum Apostolorum tuorum perpetuam venerantes; quæsumus: ut eam, sacris mysteriis expiati, digniùs celebremus. Per Dom.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Amen dico vobis: quód vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

QUæsumus Domine, salutaribus repleti mysteriis; ut quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum nostrum, &c.

XVII. Julij.

SS. ANDREÆ & BENEDICTI Martyrum.

Missa. Sapientiam Sanctorum. *per totum de Communi plurimorum Martyrum. Epistola.* Fratres, exhibeamus. *de eodem Communi.*

XIX. Julij.

FESTUM COMMEMORATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, de Monte Carmelo.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ MARIÆ Virginis: de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. *Psalmus.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. ℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

DEus, qui Beatissimæ semper Virginis, & genitricis tuæ Mariæ, singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius, ut cujus hodie commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præ-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

niti præsidiis ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis, &c.

Lectio Libri Sapientiæ.

EGo quasi vitis fructificavi svavitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis: & hereditas mea super mel, & favum: memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me adhuc esurient, qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris. ℣. Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluja, allel. ℣. Felix es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiæ. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelij secundùm Joannem.

IN illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Credo.

Offertorium. Offerentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur in lætitia, & exultatione. Alleluja.

Secreta.

SAnctifica Domine, quæsumus, oblata sacrificia: & Beatæ Dei genitricis Mariæ gloriosâ intercessione, nobis salutaria fore concede. Per eumdem &c.

Præfatio. Et te in Commemoratione.

Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium. allel.

Postcommunio.

ADjuvet nos, quæsumus Domine, gloriosæ tuæ genitricis, semperque Virginis Mariæ intercessio veneranda: ut quos perpetuis cumulavit beneficiis, à cunctis periculis absolutos tua faciat pietate concordes. Qui vivis, &c.

XX. Julij.

S. FRANCISCI SOLANI Confessoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiæ tuæ palmites usque ad mare, & propagines ejus usque ad terminos orbis terrarum, extendere voluisti, concede propitius: ut vineam electam, quam plantavit dextera tua, è cælo respicere, & Beati Francisci Solani Confessoris tui meritis, & precibus visitare, & gratiâ tuâ perficere digneris. Per Dominum &c.

XXVII. Julij.

S. HENRICI IMPERATORIS.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui hodiernâ die beatum Henricum Confessorem tuum, è terreni culmine Imperii, ad Regnum æternum transtulisti: te supplices exoramus, ut sicut illum gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras sæculi superare fecisti, ita nos facias ejus imitatione, mundi hujus blandimenta vitare, & ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum &c.

XXX. Julij.

S. ALEXII CONFESSORIS.

Missa. Os justi. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

XXXI. Julij.

S. IGNATII SOCIETATIS JESU Fundatoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam robora-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

roborasti; concede, ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Qui vivis, &c.

Secreta, & *Postcom.* de Commu. 2. loco.

VII. Augusti.

S. CAJETANI THIENÆI Confessoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confess. non Pontific.*

ORATIO.

DEus, qui beato Cajetano Confessori tuo Apostolicam vivendi formam imitari tribuisti: da nobis ejus intercessione, & exemplo in te semper confidere, & sola cælestia desiderare. Per Dominum &c.

XX. Augusti.

SANCTI STEPHANI REGIS, & Patroni Hungariæ.

Introitus.

JUstus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *Psalmus.* Noli æmulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. ℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

COncede quæsumus Ecclesiæ tuæ, omnipotens Deus: ut beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cælis. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio libri Sapientiæ.

BEatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit. Ideò stabilita sunt bona illius in Dño: & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Graduale. Os justi meditabitur sapientiam, & lingva ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, alleluja. ℣. *Psalmus* Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore; dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos; Negotiamini dùm venio. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te judico serve nequam. Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens, cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Credo.

Offertorium. In virtute tua Domine lætabitur justus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Secreta.

SAcrificium, Dñe, quod tuæ offerimus majestati, benigno vultu respice: & intercessione beati Stephani Confessoris tui, nos ab omnium inimicorum insidiis defende, & vitæ æternæ præmia concede. Per:

Communio.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Communio. Beatus servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

TUere, quæsumus Domine, familiam tuam: & quam per doctrinam beati Regis Stephani Confessoris tui, de tenebris ad veram lucem convertisti; eam post hujus temporis decursum, percepti sacrificii munimine, clementer perducas ad regna cælorum. Per Dominum &c.

XXIII. Augusti.

S. PHILIPPI BENITII Confessoris.

Missa. Justus ut palma. *de Communi Confessoris non Pontificis, cum commemorat. Octavarum* S. Stephani, *&* Ludovici, *& Vigiliæ* S. Bartholomæi.

XXX. Augusti.

S. ROSÆ LIMANÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexisti. *de Communi Virgin. & fit comm.* SS. Felicis, *&* Adaucti *Martyrum.*

ORATIO.

BOnorum omnium largitor, omnipotens Deus, qui beatam Rosam, cælestis gratiæ rore præventam, virginitatis & patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis; ut in odorem svavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Per eumdem Dominum.

XXXI. Augusti.

S. RAJMUNDI NONNATI Confessoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confess. non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui in liberandis Fidelibus tuis, ab impiorum captivitate, beatum Rajmundum Nonnatum Confessorem tuum mirabilem effecisti; ejus nobis intercessione concede: ut à peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita, liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

Dominica I. Septembris.

MISSA DE S. ANGELO CUSTODE.

Introitus.

ADorate Dominum omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psalmus.* Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi, & æterna societate gaudere. Per Domin:

Lectio libri Exodi.

HÆc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam Angelum meú qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaveris, & est nomen meum in illo. Quòd si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te: præcedetque te Angelus meus.

Graduale. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Alleluja, allel. ℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Alleluja.

Tractus. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. ℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. ℣. Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Tempore Paschali. Allel. allel. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine. Allelu. ℣. Angelus Dñi descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. Alleluia.

Evangelium. sicut in festo S. Michaëlis Archangeli. *Et dicitur* Credo.

Offertorium. Adorate Dominum omnes Angeli ejus: ministri ejus facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Secreta.

SUscipe Domine, munera, quæ pro sanctorum Angelorum tuorum veneratione deferimus: & concede propitius, ut perpetuis eorum præsidiis, à præsentibus periculis liberemur, & ad vitam perveniamus æternam. Per Dominum &c.

Communio. Benedicite omnes Angeli Domini Dominum: hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula.

Postcommunio.

SUmpsimus Domine, divina mysteria, sanctorum Angelorum tuorum festivitate lætantes: quæsumus, ut eorum protectione ab hostium jugiter liberemur insidiis, & contra omnia adversa, tua semper protectione muniamur. Per Dominum.

IV. Septembris.

S. ROSÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexisti. *ut in Communi, Pro Virgine tantum.*

ORATIO.

DEus, qui beatam Rosam sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es, tribue nobis: quæsumus, ut ejus precibus & meritis à culpis omnibus expiemur, & tuæ Majestatis consortio perfruamur æterno. Per Dominum.

VI. Septembris.

S. ROSALIÆ VIRGINIS.

Missa. Vultum tuum. *de Communi Virginum.*

ORATIO.

EXaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ Rosaliæ Virginis tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum &c.

VII. Septembris.

S. ROCHI CONFESSORIS.

(fuit 16. Augusti.)

Introitus.

LÆtabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. *Psalmus.* Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor: à timore inimici eripe animam meam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

OMnipotens & misericors Deus, qui meritis & precibus beatissimi Rochi Confessoris tui quamdam pestem hominum generalem gratiosè revocasti: præsta supplicibus tuis, ut qui pro simili peste revocanda ad tuam refugiunt fiduciam, ipsius gloriosi Confessoris precamine, ab ipsa infirmitate, & ab omni perturbatione liberentur. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio Libri Sapientiæ.

JUstus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus: & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatus in brevi explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius.

Graduale. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam: & veritatem tuam per noctem. ℣. O beate Confessor, Roche, ô quàm magna apud Deum sunt merita tua, quibus credimus nos à morbo epidimiæ posse liberari, & aëris nobis temperiem concedi.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore: Circuibat Dominus Jesus civitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem langvorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & jacentes, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dixit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii verò pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

messem suam. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date. Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ.

Offertorium. Rochum Christi Confessorem exoratum fecimus; & preces ad Patrem nostrum dirigimus, ut sua intercessione à langvoribus epidimiæ ac peste salvemur, & aëris temperie potiamur.

Secreta.

MUnera, tibi quæsumus Domine, oblata sanctifica, & intercedente pro nobis beato Rocho Confessore tuo, per hæc omnes scelerum nostrorum maculas placatus absterge: sanitatemque corporis & animæ nobis tribue. Per Dominum.

Communio. Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam & magnum decorem impones super eum Domine.

Postcommunio.

SUmpsimus, Domine, tua sancta, beati Rochi merita recolentes: præsta quæsumus, ut ejus semper & fideli muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo. Per Dominum.

XVIII. Septembris.

FESTUM NOMINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Introitus.

VUltum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus adducentur tibi in lætitia & exultatione. *Psalmus.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui gloriosam matrem tuam nominari MARIAM voluisti, concede quæsumus: ut qui dulce MARIÆ nomen implorant, perpetuum sentiant tuæ benedictionis effectum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate &c.

Lectio libri Sapientiæ.

EGo quasi vitis fructificavi svavitatem odoris: & flores mei, fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me omnis gratia, viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum: memoria mea in generatione sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audiunt me, non confundentur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris. ℣. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis; in tua se clausit viscera factus homo. Alleluja, allel. ℣. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideo-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

bi. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Credo.

Offertorium. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Secreta.

TUa Domine, propitiatione, & beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam, atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem & pacem. Per Dominum nostrum &c.

Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris filium.

Postcommunio.

SUmptis, Domine, salutis nostræ subsidiis: da, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis patrociniis nos ubique protegi: in cujus veneratione hæc tuæ obtulimus majestati. Per Dominum nostrum.

XXII. Septembris.

S. THOMÆ DE VILLA.

Episcopi & Confessoris.

Missa. Statuit ei. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiæ virtute decorasti, quæsumus: ut ejus intercessione in omnes, qui te deprecantur, divitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum nostrum &c.

XXIV. Septembris.

S. GERARDI EPISCOPI & Martyris.

Missa. Statuit ei Dominus. *de Communi unius Martyris Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Gerardum Pontificem, agone martyrii & stolâ immortalitatis coronasti: concede propitius; ut cujus memoriam devotis mentibus celebramus in terris, ejus perpetua defensione muniamur in cælis. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Evangelium, Si quis vult venire post me. *ut in sequenti Missa de eodem Communi.*

Secreta.

OBlata Domine munera sanctifica: & intercessione beati Gerardi Martyris tui atque Pontificis, ab omnibus nos defende periculis. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam, pretiosissimi Corporis & Sangvinis Filii tui libamine: præsta quæsumus; ut intercessione beati Gerardi Martyris tui atque Pontificis, nobis proficiat ad salutem mentis & corporis. Per eumdem Dominum.

XXVIII. Septembris.

S. ELZEARII CONFESSORIS.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Elzearium Confessorem tuum, inter cætera virtutum insignia, virginali pudicitia in coniugio decorasti, concede propitius: ut cuius sacra solemnia celebriter veneramur in terris, eius beata consortia feliciter consequamur in cælis. Per Dominum nostrum.

Evangelium. Nolite timere pusillus grex. *ut in sequenti Missa de eodem Commu.*

Dominica I. Octobris.

SOLEMNITAS SANCTI ROSARII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Introitus.

SAlve radix sancta: salve mundi gloria: ô Maria flos virginum, velut rosa vel lilium: tuum pro nobis deprecare Filium, Alleluia, alleluia. *Psalmus.* Gratia super gratiam; Mulier sancta, & pudorata. ℣. Gloria Patri, &c.

ORATIO.

SOlemnitatem Rosarii beatissimæ Virginis Mariæ, genitricis celebrantes: quæsumus omnipotens Deus, benigno favore prosequere; quatenus ita ipsius sacra Mysteria contemplemur in terris: ut post huius vitæ cursum, eorum fructus percipere mereamur in cælis. Qui vivis & regnas.

Lectio

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Lectio libri Sapientiæ.

EGo flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingva tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Ego quasi vitis fructificavi svavitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum.

Graduale. Dilectus meus mihi, & ego illi: qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. ℣. Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Alleluia, alleluia. ℣. Virga Jesse floruit, Virgo Deum & hominem genuit, pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluia.

Infra Septuagesimam, Tractus. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti. ℣. Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. ℣. Dùm Virgo Deum, & hominem genuisti: & post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Dei genitrix intercede pro nobis.

Tempore Paschali. ℣. Alleluia, allel. Virga Jesse floruit, Virgo Deum & hominem genuit, pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluia. ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Avete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Alleluia.

Sequentia sancti Evangelii secundùm Marcum.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, veniunt mater ejus, & fratres: & foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum. Et sedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te. Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea, & fratres mei? Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est. Credo.

Offertorium. Ave Regina cælorum, mater Regis Angelorum: ô Maria flos Virginum, velut rosa vel lilium: funde preces ad Filium, pro salute fidelium.

Tempore Paschali additur, Alleluia, allel.

Secreta.

VIvifica nos, quæsumus Domine, tui ipsius hostia salutari: & sanctissimæ Matris tuæ Rosarii solemnia recolentes, interiori Spiritus sancti invocatione sanctifica. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, in unitate eiusdem Spiritus &c.

Præfatio. Et te in solemnitate B. Mariæ.

Communio. O quàm speciosa facta es, & svavis in deliciis virginitatis, sancta Dei genitrix: quam videntes filiæ Sion vernantem in floribus rosarum, & liliis convallium, beatissimam prædicaverunt, & reginæ laudaverunt eam.

Tempore Paschali. Alleluia, allel. allel.

Postcommunio.

COncede quæsumus Domine, semper nos per hæc sancta Rosarii Genitricis tuæ mysteria gratulari, ut continuè eadem contemplantes, perpetuæ nobis fiant causa lætitiæ. Qui vivis, & regnas &c.

I. Octobris.

S. REMIGII EPISCOPI & Confessoris.

Missa. Statuit ei Dominus. *de Communi Confessoris Pontificis.*

VI. Octobris.

S. BRUNONIS CONFESSORIS.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

SAncti Brunonis Confessoris tui, quæsumus Domine, intercessionibus adjuvemur: ut

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

mur: ut qui majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus meritis & precibus nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum &c.

VIII. Octobris.

S. BIRGITTÆ VIDUÆ,

Missa. Cognovi, *ut in Communi nec Virginum nec Martyrum.*

ORATIO.

DOmine Deus noster, qui beatæ Birgittæ per Filium tuum Unigenitum secreta cælestia revelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in revelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eumdem Dominum &c.

Epistola. Viduas honora. *de eodem Commu.*

XII. Octobris.

S. MAXIMILIANI EPISCOPI & Martyris,

Missa. Sacerdotes Dei. *de Communi unius Martyris.*

XIV. Octobris.

S. BURCHARDI EPISCOPI & Confessoris.

Missa. Statuit ei. *de Communi Confessoris Pontificis.*

XV. Octobris.

S. TERESIÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexisti. *de Communi Virginum.*

ORATIO.

EXaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Teresiæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita cælestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur, & piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

XVI. Octobris.

S. EDVARDI CONFESSORIS.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Regem Edvardum Confessorem tuum, æternitatis gloriâ coronasti, fac nos, quæsumus, ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cælis. Per Dominum.

XVII. Octobris.

S. HEDVIGIS VIDUÆ, Reginæ Poloniæ.

Missa. Cognovi Domine. *de Communi non Virginum.*

XIX. Octobris.

S. PETRI DE ALCANTARA Confessoris.

Introitus.

MIhi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. *Psalmus.* Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis penitentiæ, & altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es: concede propitius, ut ejus suffragantibus meritis, carne mortificati, cælestium donorum participes fieri mereamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

FRatres, quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu; quæ ex Deo est justitia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum illius, configuratus morti ejus. Si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.

Graduale. Os justi meditabitur sapientiam, & lingva ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus. Alleluia, alleluia. ℣. Crucis cultor optime Sancte Petre, norma veræ sanctitatis impetra nobis tuis precibus fructus dignos pænitentiæ, ut tecum simus æternæ gloriæ consortes. Alleluja.

Post Septuagesimam, Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus cupit ni-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

pit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen ejus: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & divitiæ in domo ejus: & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Tempore Paſchali. Alleluia, alleluja. ℣. Chriſto confixus ſum cruci: vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Allelu. ℣. Crucis cultor optime Sancte Petre, norma veræ ſanctitatis, impetra nobis tuis precibus fructus dignos pænitentiæ, ut tecum ſimus æternæ gloriæ conſortes. Alleluia.

Sequentia ſancti Evangelij ſecundùm Lucam.

IN illo tempore; Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos. Qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. Credo, &c.

Et dicitur per totam Octavam, & in Feſtis infra eam occurrentibus.

Offertorium. In virtute tua Domine lætabitur juſtus, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer; deſiderium animæ ejus tribuiſti ei.

Secreta.

OBlationem noſtram quæſumus Domine, Sancti Petri meritis placatus aſſume; quam dum in carne viveret, puriſſimis manibus contrectavit, & obtulit. Per Dominum, &c.

Communio. Amen diço vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me: centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.

Poſtcommunio.

PRæſta quæſumus omnipotens DEus, ut Beati Petri confeſſoris tui ſemper facta ſectantes, fructum quem de cœleſti hoc alimento percepit; ipſi quoque percipere mereamur. Per Dominũ noſtrũ &c.

XXI. Octobris.

SS. URSULÆ ET SOCIARUM Virginum & Martyrum.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes, ſub honore ſanctarum Virginum & martyrum: de quarum paſsione gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI. *Pſalm.* 82. Exultate juſti in Domino; rectos decet collaudatio. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: da nobis quæſumus, beatæ Urſulæ ac ſociarum ejus feſtivitate gaudere; ut potentiam tuam in earum paſsione laudare, & conceſſum nobis percipere mereamur auxilium; Per Dominum.

Et fit commemoratio de S. Hilarione Abbate, *Epiſtola.* De Virginibus præceptum, *ut in eodem Communi.*

Graduale. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. ℣. Propterea unxit te DEus, DEus tuus, oleo lætitiæ. Alleluja, allelu. ℣. Adducentur Regi virgines poſt eam; proximæ ejus afferentur tibi in lætitia. Alleluja.

Evangelium. Simile eſt regnum cœlorum decem Virginibus. *ut in eodem Communi.*

Offertorium. Afferentur Regi Virgines poſt eam: proximæ ejus afferentur tibi, in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

COncede quæſumus omnipotens DEus, ut hujus Sacrificij munus oblatum, fragilitatem noſtram ab omni malo purget & muniat: ut ſanctarum Virginum Urſulæ & ſociarum ejus meritis & precibus, ab omnibus malis eruamur: Per Dominum noſtrum.

Communio. Confundantur ſuperbi, quia in juſte iniquitatem fecerunt in me: ego autem in mandatis tuis exercebor, in tuis juſtificationibus, ut non confundar.

Poſtcommunio.

MUnera tua nos DEus, ſupplicatione ſanctarum Virginum & martyrum, Urſulæ ac ſociarum ejus, à delectationibus terrenis expediant, & cœleſtibus nos ſemper in-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

per instaurent alimentis: Per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM &c.

XXIII. Octobris

S. JOANNIS CAPISTRANI Confessoris.

Missa. Os justi. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus qui beatum Joannem Confessorem tuum innumeris decorasti miraculis, & per invocationem tui sancti Nominis, fecisti de sævissima Turcarum gente triumphare: præsta quæsumus, ut ejus meritis & precibus ab omnibus semper protegamur adversis. Qui vivis & regnas.

XXIX. Octobris.

S. DEMETRII MARTYRIS.

Missa. In virtute tua. *de Communi unius Martyris.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Demetrium Martyrem tuum, virtutum signis clarificas: ejus nos quæsumus interventu, à cunctis reatibus, & à malis quæ pro eis meremur, absolve propitius: Per Dominum &c.

Secreta.

MUnera nostra Domine, meritis beati Demetrii martyris, tibi quæsumus reddantur accepta: & nosmetipsi gratum tibi efficiamur sacrificium: Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PUrificet nos, quæsumus Domine, cœlestis mensæ libatio: & intercedente beato Demetrio martyre tuo, ad vitam nobis proficiat sempiternam: Per Dominum nostrum.

XXX. Octobris.

S. COLOMANNI MARTYRIS.

Missa. In virtute tua. *de Communi unius Martyris.*

XXXI. Octobris.

S. VOLFGANGI EPISCOPI & Confessoris.

Missa. Sacerdotes tui. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

DEus, qui nobis æternæ salutis beatum Volffgangum, ministrum tribuisti, præsta quæsumus: ut quem Doctorem vita habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis: Per Dominum &c.

IV. November.

S. CAROLI EPISCOPI & Confessoris.

Missa. Statuit ei Dominus. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

ECclesiam tuam, Domine, sancti Caroli Confessoris tui atque Pontificis continua protectione custodi: ut sicut illum Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore feruentes. Per Dominum nostrum JEsum Christum.

Et fit commemoratio Omnium Sanctorum, & SS. Vitalis & Agricolæ Martyrum.

V. Novembris.

S. EMERICI DUCIS HUNGARIÆ.

Introitus.

OS justi meditabitur sapientiam, & lingva ejus loquetur judicium: lex DEI ejus in corde ipsius. *Psalmus.* Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. ℣. Gloria. &c.

ORATIO.

DEus, qui beatum Emericum juvenili flore nitentem, in sanctorum tuorum consortium sublimasti: præsta quæsumus; ut quem tibi fecisti esse devotum, ejus apud te perpetuum sentiamus auxilium: Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

JUstus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens DEO factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Consumatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat DEO anima illius: pro-

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

us: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius. Condemnat autem justus mortuus, vivos impios; & juventus celeriùs consummata, longam vitam iniusti. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.

Graduale. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini ℣. Ad annunciandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluia, alleluia. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Allel.

Evangelium. Sint lumbi vestri præcincti. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

Offertorium. Veritas mea. *de eodem Communi.*

Secreta.

OBlatio, quam tibi offerimus, Domine, nos purget ab omni crimine: quatenùs per intercessionem sancti Emerici Confessoris tui, cujus sacram recolimus festivitatem, ad cælestis patriæ assumamur hereditatem. Per Dominum &c.

Communio. Beatus servus. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

Postcommunio.

PLebem tuam, Domine, à cunctis adversitatibus protege: ut beato Emerico confessore tuo intercedente, & præsentis vitæ devitemus pericula, & futura mereamur gaudia sempiterna: Per Dominum nostrum.

XV. Novembris.

S. LEOPOLDI CONFESSORIS.

Missa. Statuit ei. *de Communi Confessoris Pontificis.*

ORATIO.

DEus qui sanctum Leopoldum ex principatu & curis sæculi hujus, immaculatum ad regnum cæleste traduxisti, concede propitius: tua clementia ita nos per hæc temporalia dirigi, ut æternæ vitæ consortes effici mereamur. Per Dominum.

XVI. Novembris.

S. JOSAPHAT EPISCOPI & Martyris.

Missa. Sacerdotes Dei. *de Communi unius Martyris.*

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEus, qui beatum Josaphat palma martyrij condecorando, Ecclesiæ Catholicæ novum apud te intercessorem providisti, quæsumus: ut ejus meritis & auxilio à malis omnibus liberati, tuo nomini studiosiùs serviamus. Per Dominum nostrum.

XVII. Novembris.

BEATÆ SALOMEÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexisti. *ut in Communi, Pro Virgine tantum.*

XIX. Novembris.

S. ELIZABET VIDUÆ Reginæ Hungariæ.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, sub honore beatæ Elisabeth: de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psalmus. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

TUorum corda fidelium, DEus miserator illustra: & beatæ Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere, & cœlesti semper consolatione gaudere: Per Dominum nostrum.

Et fit Commemoratio de sancto Pontiano Papa & Martyr. Epistola, ex libro Sapientiæ; Mulierem fortem quis inveniet? *&c. Cum reliquis de Communi nec Virginum nec martyrum: ut habetur in Missa.* Cognovi.

Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium: Per Dominum nostrum.

Communio. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: ejus quæsumus semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus: Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat &c.

XXVI. Novembris.

FESTUM OMNIUM SANCTORUM Odinis Minorum.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium Ordinis Minorum: de quorum solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium DEi. *Psalmus.* Exultate justi in Domino: rectos decet Collaudatio. ℣. Gloria Patri &c.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEus, qui Ecclesiam tuam varijs Sanctorum splendoribus semper illustras, protegis, atque conservas: concede propitius, ut Beati Francisci, & Sanctorum Filiorum ejus, quorum omnium merita nos sub una tribuisti celebritate venerari, precibus; & hic ab omnibus mundemur offensis, & in futuro, gloriâ perfruamur æterna. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio Libri Apocalypsis *B. Joannis Apostoli.*

IN diebus illis. Ecce ego Joannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum DEI vivi. Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus: quoadusque signemus servos DEI nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Juda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati. Ex tribu Simeon, duodecim millia signati. Ex tribu Levi, duodecim millia signati. Ex tribu Isachar, duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Ex tribu Joseph, duodecim millia signati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & lingvis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magnâ: dicentes: Salus DEo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt DEum, dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo DEo nostro, in sæcula sæculorum, Amen.

Graduale. Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam nihil deest timentibus eum. ℣. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Alleluja, alleluja. ℣. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos. Alleluja,

Sequentia Sancti Evangelij *Secundum Lucam.*

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis. Nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. *Credo.*

Offertorium. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis; exaltationes DEi in faucibus eorum.

Secreta.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Secreta.

MUnera tibi Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum, &c.

Communio. Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

Postcommunio.

DA quæsumus Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorum Ordinis Minorum semper veneratione lætari: & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum nostrum. &c.

XXVII. Novembris.

S. VENCESLAI MARTYRIS.

Missa. In virtute tua. *de Communi unius Martyris.*

ORATIO.

DEus, qui beatum Wenceslaum per martyrij palmam à terreno Principatu ad cælestem gloriam transtulisti: ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, & ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Evangelium. Si quis vult post me venire. *de eodem Communi.*

XXVIII. Novembris.

S. JACOBI DE MARCHIA.

Missa. Justus ut palma. *de Communi Confessoris non Pontificis. Dicitur* Credo.

XXIX. Novembris.

FELICIS DE VALOIS Confessoris.

Missa. Justus ut palma. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus qui beatum Felicem Confessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cælitùs vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate, ejus intercessione liberati, ad cælestem patriam perducamur. Per Dominum &c.

II. Decembris.

S. BIBIANÆ VIRGINIS & Martyris.

Missa. Me expectaverunt. *de Communi Virginum.*

ORATIO.

DEus omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrij palmam cõjunxisti: mentes nostras ejus intercessione tibi charitate conjunge, ut amotis periculis, præmia consequamur æterna. Per Dominum &c.

III. Decembris.

S. FRANCISCI XAVERII Confessoris.

Introitus.

LOquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar: & meditabat in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Psalmus,* Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes Populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

DEus, qui Indiarum Gentes beati Francisci prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti; concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum, &c.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli *ad Romanos.*

FRatres, corde enim creditur ad Justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi, & Græci: Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est? Quam speciosi

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona; sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? ergò fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Graduale. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad anuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluja, alleluja. ℣. Beatus vir, qui suffert tentationem: qoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluja.

Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & divitiæ in domo ejus; & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali.

℣. Beatus vir: qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Alleluja. ℣. Amavit eum, Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii *secundum Marcum.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo demonia ejicient, lingvis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

PRæsta nobis, quæsumus omnipotens Deus: ut nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore sanctorum: & nos corpore pariter & mente purificet. Per Dominum nostrum, &c.

Communio. Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut qui cælestia alimenta percepimus: intercedente beato Francisco Confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum &c.

IV. Decembris.

S. BARBARÆ VIRGINIS

Missa. Loquebar. *de Communi Virginis & Martyris, præter ea quæ hic habentur.*

Secreta.

SAnctæ Virginis & martyris tuæ Barbaræ, quæsumus Domine pio inventu, hæc tibi grata reddatur oblatio: pariterque nos, & à peccatis omnibus expiet, & ad cælestia dona capienda jugiter perducat: Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

COrporis sacri, & pretiosi sangvinis repleti libamine, quæsumus Domine ut sanctæ Virginis & martyris tuæ Barbaræ intercedentibus meritis, ab omnibus nos tuearis adversis: Per Dominum nostrum Jesum Christum.



MISSÆ

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

MISSA AD HONOREM GLORIOSÆ VIRGINIS.

Pro Mulieribus prægnantibus, aut aliàs in partu laborantibus.

Introitus.

ALma Virgo virginum, sancta Dei genitrix, pro devotis porrige ancillis tuis preces obnixas ad Filium, quæ parturientium benigna es auxiliatrix. *Psalmus.* Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. ℣. Gloria Patri, & Filio.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEus, qui humânum genus seminando multiplicas, quique ancillæ tuæ uterum dignanter fœcundasti: da ei cum salûte animæ & corporis in pariendo virtûtem, & ad sacrum baptisma tumescentis uteri fructum pervenire. Per Dominum.

Lectio libri Genesis.

IN diebus illis: Dixit Dominus ad Adam; Numquid ex ligno de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? Dixitque Adam. Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus DEus ad mulierem. Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decêpit me, & comedi. Et Dominus ad serpentem. Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ. Super pectus tuum gradièris, & terram comedes cunctis diièbus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolôre paries filios: & sub viri potestâte eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit. Quia audisti vocem uxôris tuæ: maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diièbus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinâbit tibi, & comedes herbas terræ. In sudôre vultus tui vescêris pane tuo, donec revertâris in terram, de qua sumptus es. Quia pulvis es, & in pulverem revertêris.

Graduale. Ecce virgo concipiet absque dolôre: peperit nobis filium. ℣. Qui sicut pluvia in vellus; ita in uterum virginis descendit, & velut porta clausa ex utero virginali ad nos introivit. Alleluja, alleluja. ℣. Ad tuum, ô Maria, confugiunt præsidium pauperes in partu laborantes: quas suis quæso non despicias in necessitatibus, sed à periculis eas cunctis libera virgo semper benedicta. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelij secundùm Joannem.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem peperit puerum: jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipiêtis: ut gaudium vestrum sit plenum.

Offertorium. Ave Maria parturientium consolatrix, gratia plena, infantium sublevatrix, quia Dominus est tecum: ipsorum esto protectrix, ut præ mulieribus benedicta dicaris, & super omnes benedictas à cunctis Christicolis extollatur fructus ventris tui.

Secreta.

PAternæ majestati tuæ munus oblâtum acceptabile tibi fiat: cujus gratia ancillæ tuæ N. tolerantiam benignè conferas: & germen incolume sacro baptismatis fonte renasci. Per Dominum &c.

Communio. In partu puerôrum ô Maria, Sol tuus resplendeat misericordiæ: quo lucente cetera post Deum luminaria sunt quasi non sint.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Postcommunio.

DIvini germinis munere satiati, te supplices exoramus, clementissime Pater, ut hujus percepti virginei fructus dono: benedictionem ancillæ tuæ N. misericorditer infundas: & quem spiritu vitali animasti, partum in novitate gratiæ tuæ reformare dignêris. Per eumdem.

MISSA COMPASSIONIS SEU LAMENTATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Introitus.

VIde Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, submersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum. *Psalmus.* Posuit me Dominus desolatam: tota die mœrore confectam. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

PIetatem tuam quæsumus Domine Jesu Clementissime, qui pro nobis peccatoribus mortem subiens temporalem: nec proprio corpori, nec materno dolori parcere voluisti: præsta, ut nos passionis tuæ memoriam, ejusdemque matris tuæ mœstitiam recolentes, vobiscum felicitatis æternæ simus participes. Qui vivis.

Lectio Jeremiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Dixit Jeremias Propheta: Cui comparabo, vel cui assimilabo te Virgo filia Jerusalem? Cui adæquabo te & consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est enim velut mare, contritio tua. Quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt & moverunt capita sua super filiam Jerusalem. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt & frenduerunt dentibus suis, & dixerunt; En ista est dies, quem expectabamus? Fecit Dominus quæ cogitavit; complevit sermonē suum quem præceperat à diebus antiquis. Destruxit & non pepercit: & lætificavit super te inimicum: & exaltavit cornu hostium tuorum. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi: neque taceat pupilla oculi tui. Consurge & lauda in nocte in principio vigiliarum. Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini.

Graduale. Omnes inimici mei audiernnt malum meum: lætati sunt quoniam tu fecisti: quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me. ℣. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens: quia Dominus me posuit amaram. Alleluia, allel. ℣. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël: & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Alleluia.

Tractus. Usquequo Domine obliviscceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam à me. ℣. Quamdiù ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem. ℣. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me: respice & exaudi me Domine Deus meus. ℣. Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ, omnibus invocantibus te. ℣. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. ℣. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. ℣. Respice in me, & miserere mei: da imperium puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.

Tempore Paschali. Alleluia, alleluia. ℣. Omnes inimici ejus apprehenderunt eam inter angustias: unde desolata est vehementer, non habens consolatorem. Allelu. ℣. Posuit me Dominus desolatam, tota die mœrore confectam. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelij secundùm Lucam.

IN illo tempore: Erant pater & mater Jesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël: & in signum, cui contradicetur;

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

dicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Offertorium. Christum cruce mortuum nostros ob defectus: mœstè mater aspicit pios per affectus: & clamavit, lacerans capillos, & pectus: heu me! jacet filius meus hic despectus; nuper inter millia qui fuit electus: sicut myrrhæ fasciculus, meus sic dilectus.

Secreta.

HOstias quæsumus, omnipotens Redemptor, in memoriam acerbissimæ passionis tuæ, lacrymosique doloris, quem pia Virgo mœstissima mater pro tua morte sustinuit, tibi sacrandas propitius intuere, & præsta: ut per eas pietatis & compassionis lachrymas, tibi vivo & vero Deo, cum eadem sanctissima matre tua valeamus offerre. Qui vivis, & regnas &c.

Præfatio. Qui salutem humani generis. *ut in Dominica Passionis.*

Communio. De cruce depositum videns corpus Christi: mœsta mater lacrymans, atque vultu tristi; dixit: ô dulcissime fili, quid fecisti: quòd has pœnas asperas, & mortem subjisti?

Postcommunio.

REdemptor noster, atque Salvator, æterne Deus: fragilem facturam tuam nos pietatis oculo respicere digneris, & præsta: ut qui pretiosi corporis & sangvinis tui sacrosancta mysteria, pro totius populi salute oblata percepimus: per hæc ad compassionis lacrymas, tuæque mœstissimæ matris devotionem faciliùs attendamus. Qui vivis, & regnas &c.

MISSA
DE SANCTO SEBASTIANO,

Tempore pestis.

Introitus.

EGregie Christi martyr Sebastiane, princeps & propagator sanctissimorum præceptorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœlestis adscriptum est, & memoriale tuum non derelinquetur in sæcula.

Psalmus. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. ℣. Gloria Patri.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus qui meritis beati Sebastiani martyris tui gloriosissimi, quamdam generalem pestem epidimiæ hominibus mortiferam revocasti: præsta supplicibus tuis; ut qui pro simili peste revocanda, ad ipsum sub tua confidentia confugerint, ipsius meritis & precibus ab ipsa peste epidimiæ, & ab omni tribulatione liberentur. Per Dominum nostrum.

Epistola. Charissimi. Omne gaudium existimate. *de Communi unius Martyris.*

Graduale. O Sancte Sebastiane, ortus magna prosapia. Tu fidei Christianæ adhæsisti mente pia. Semper spernens sculptilia, ora pro nobis Dominum, ut scandamus cælestia post hujus vitæ terminum. ℣. Tu à peste mortifera liberas Longobardiam: Hæc regio tam misera poscit misericordiam. Cerne tuam familiam, quæ orat flexis genibus: serva à peste patriam istam, & malis omnibus. Alleluja, allel. ℣. Audi famulos rogantes, ô martyr Sebastiane. Serva corpus, sana mentes hujus plebis Christianæ: ne incurramus immane barathrum confusionis. Dona vespere & manè, gemitum compunctionis.

Tempore Paschali Alleluja.

℣. O quam gloriosum est templum, beate Sebastiane, in quo divina est promissio, & peccatorum remissio, spendor & lux perpetua, & sine fine lætitia! Alleluja.

Evangelium. Nisi granum frumenti. *de Communi unius Martyris.*

Offertorium. Martyr egregie, decus militiæ, athleta fidei, ora natum Dei; ut avertat à nobis indignationem suam: martyr suffragia effunde pia, ut epidimia non sit noxia: in hac patria aut in alia, quæ subsidia poscit nunc tua: audi talia tu præconia: hîc prece pia dentur præmia, miles ea nobis, alleluja.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Secreta.

SUbveniat nobis, Domine, tua misericordia, intercedente beato Sebastiano martyre tuo: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente salvari, & tuis precibus à peste epidimiæ, & ab omni tribulatione liberari. Per dominum nostrum.

Communio. Ave martyr gloriose, qui jam regnas in superis:& cum sanctis copiosè delicijs perfrueris. Gementium memineris, ut ad æterna gaudia scandamus, ubi prosperis augentur semper præmia.

Postcommunio.

DA quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis & corporis: ut interventu beati Sebastiani martyris tui bonis operibus inhærendo, tuo semper munere, & suorum meritorum interventione, à peste epidimiæ, & ab omni tribulatione mereamur tua protectione defendi. Per Dominum nostrum.

MISSA DE SANCTO ROCHO.

tempore PESTIS, sicut supra:

VIII. Februarij.

S. JOANNIS DE MATHA Confessoris.

Missa. Os justi. *de Communi Confessoris non Pontificis.*

ORATIO.

DEus qui per sanctum Joannem de Matha, Ordinem sanctissimæ Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, cælitùs instituere dignatus es; præsta quæsumus ut ejus suffragantibus meritis, à captivitate corporis, & animæ te adjuvante liberemur. Per Dominum.

II. Maji.

S. SIGISMUNDI REGIS & Martyris.

ORATIO.

DEus qui Beatum Sigismundum Regem, temporali & æterno diademate, cum desiderata martyrij corona, honorare dignatus es; tribue quæsumus: ut qui ejus merita veneramur in terris, ipsius intercessione, ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum.

PRO OBSESSIS

ORATIO.

DEus qui per unigenitum tuum exclusa dominatione diaboli, populum tibi fidelem aptasti, expelle quæsumus à famula tua N. cunctas diabolicæ illusionis insidias, & eam illibatam ab omni ejus impugnatione conserva. Per Dominum.

Secreta.

MUnus Domine humilitatis nostræ pro petitione famulæ tuæ N. oblatum, petimus, ut, gratanter assummas, & ab ejus oppressione hostis maligni insidias, omnemque potestatem benignus excludas. Per Dominum.

Postcommunio.

COelestis panis quem sumpsimus Domine, & nobis indulgentiam tribuat, & famulam tuam N. ab antiqui hostis irrisione defendat. Per Dominum.

FINIS.

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda

Csíki Székely Múzeum Könyvtára - Csíkszerda